

Quaestio medica ... An varius causariis, pro diversa tempestate, victus praescribendus? / [Propugnate anno 1745 praeside M.M.L. Vernage. Proponebat ... F. Vicq d'Azir ... 1773].

Contributors

Vernage, Michel-Louis, 1697-1773.
Vicq-d'Azyr, M. (Félix), 1748-1794.
Bercher, Pierre.
Université de Paris.

Publication/Creation

[Parisiis] : [Quillau], [1773]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/z88wduv6>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,*

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS,
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis sextâ mensis
Aprilis, anno Domini M. DCC. LXXIII.*

PRÆSIDE,

M. PETRO BERCHER, Facultatis ex-Decano & Academiæ Censore,
Regiæ Hispaniarum Infantis, dum viveret, necnon Regii exercitûs
ad Infimum Rhenum in ultimo bello Medico Primario, Doctore
Medico.

An varius Causariis, pro diversâ tempestate, victus præscribendus?

I.



RÆSTANTIOR sanitatis tuendæ lex est non satiari cibus, sed
esse impigrum ad laborem; victus enim ubi plenior, ibi nu-
tritio parcior; nam quæ ingeruntur perennes corporis effluxus
non refarciunt. sed quæ digeruntur; ut pathemata animos acunt
& erigunt, ἀπαλινξ hebetat; sic labor corpus firmat, ignavia
mollit, hæc maturam senectutem accersit, ille longam reddit ju-
ventutem: sobrietas enim & exercitatio fidissimi sanitatis custodes
superflua circumcidendo, novas Corpori vires addunt, si mutuam sibi ferant

* Propugnata anno 1745 Præsidi M. M. L. Vernage.



opem & amicè conjurent, stabilem servant machinæ habitum, externisque minis injuriis obnoxium; non intemperantiæ vitiis gravis, animum unà prægravat, sed grata viget cum functionum integritate mentis alacritas: vividior si quidem fit spirituum in partes influxus, sanguinis expeditior circuitus, excernendorum minor congeries, facilior secretio, uberior insensibilis halitus, major denique solidarum partium tonus & elater. Jugi & æquabili arietantis in partem liquidi, resilientis fibræ motu, alternis vicibus deteritur & restituitur Corpus; modus illius & finis est adjectio deficientium, & detractio exuperantium; hos si limites transiliat natura, vel superfluis oppressa corrui, vel necessariis defecta contabescit; utrumque pariter metuendum discrimen vitabit sedulus observator ætatis, temperiei, præsertim anni tempestatum, quarum vicissitudo, permutatio, diversè corpus afficiunt, & naturæ vim augment, aut minuunt; horum ancipites effectus singulari victus normâ cuilibet idiosyncrasie propriâ, aut sævientis anni temporis intemperiei debellandæ idoneâ arcebit.

I I.

UT nullus sine vitiis, sic nemo sine morbis nascitur; Beatus ille qui minimis urgetur: sæpè vultûs lineamenta & mores, sæpius temperamentum & morbi à parentibus in sobolem traducuntur; arthritici arthriticis, tabidi tabidis, Causarii Causariis, fortes creantur fortibus; horum affectuum germina adeò penitus sunt sanguinis principiis insita, ut hæc emendare tantum, non delere valeat ars; naturam enim expellas frustra, tamen utque recurret. Qui ex meliore luto formatus solidis in debitâ compage, fluidis in decenti copiâ, crasi, & motu convenientibus constat; cui latum pectus, firma latera, stomachus sine dolore & labore concoquens, validum corpus promittunt: qui vesano non uritur amore, nec inanes & operosos honores ambit, non avidè quærit opes, & inventis miser abstinet, nec invidus alterius opimis rebus macrescit, sed æquum rebus in arduis, non secus in bonis, ab insolenti temperatum lætitiâ animum servans, càm quam ratio ipsi dederit vel fors objecerit sorte contentus vivit: qui denique sui compos & salutaribus Philosophiæ præceptis imbutus, sanam mentem in sano corpore tuetur; hic nullis debet obligari legibus, sed varium pro arbitrio vitæ genus tam impunè quàm audacter sequi; at Causarius vel ingeniâ hæreditario jure, vel endemiâ regioni quam incolit, ut Hispanis strumæ, scorbutus Batavis, plica Polonis, vel adscititiâ, ab ex lege vivendi ritu, aut acrioribus curis, infirmitate laborans, cujus pectus frequens tussis lancinat, vel asthma opprimit, quem renum arenulæ vel calculus angunt, aut cruciat arthritis sæva Bacchi & Veneris filia, magnatibus & opulentis maxime familiaris, mancipiis & sequiori sexui nisi mensibus defraudato, aut virili licentiâ effrenè viventi ferè ignota, rusticis omnia tenui simplici que victu & improbo labore vincentibus aut fugantibus incommoda insolens; hic salutaribus Medicinæ legibus subscribere cogitur; iniquis enim conditionibus lucem accepit, qui Causarium & à recto sanitatis tenore delirans corpus à naturâ sortitus est: facile rerum externarum occursum percellitur; hunc sæpè dolor quasi prænuntians tempora, & Cœli conversiones fragilem & tenerum ferit, quibus bene natus minimè tangitur; ob levissimum errorem plectitur; continuo ipsi cum domestico hoste, quem venis alit, luctandum, cuius sæpè nocituras vires solo tempestivo rerum non naturalium usu, & cautâ pro diversis anni tempestatibus victus mutatione retundet.

ANNI lapsum fermè imitatur hominis natura. Quas hæc ætatum decursu subit alterationes, easdem ille pro vicissitudine temporum adumbrat singulis annis renovandas; Certum quoddam percurrendo spatium sol tempestatem definit, quò insignem in aëra inducit mutationem, cujus in partem facile sanguis adducitur, mortalibus enim vitæ & morborum auctor est aër; si purus, aut plus minusve inimicis inquinatus miasmatis sese in corpus inferat: huius superficiem undique circumfusus pondere premit, elatere diverberat, diversisque modis mutat, laxat, emollit, densat, constringit: si per pulmones inspiratus sanguinem non permeet, cum cibis confusaneus ipsi permiscetur & in penitiorem partium compagem delabitur: si Cælum sit siccum & æstuet, sanguis rarefcit aucto motu intestino, liquatur, par laxata undique partium spiracula diffluit, maximumque dum patitur utilis substantiæ cum sero secedentis detrimentum, acrimoniam contrahit & mordacitatem; idcirco Æstate spontaneam senties lassitudinem, acrem expirationem, corporis moles liquefcit, ejusque pondus & virtus imminuuntur; quod ne præceps ruat, moram affert victus ratio, qui contrariâ, interiorem tumultum indole compescat: densior ex aëris frigiditate fit corporis habitus, meatus constringuntur, cœcæque exhalationes coercentur, sanguinis moles accrescit, lentus & viscidus ob extranearum particularum scaturiem evadit, secretionibus turbantur: Ex Autumnû inæqualitate videas quot diversis modis corpus percellatur: Hyeme, frequenti corpora plenitudine turgescunt, quæ Veris adventu molestiam facessere consuevit: Cæterum si fueris intemperatus, intemperiem tibi insitæ similem iniquius feres, quàm quilibet rectè temperatus quamlibet aëris intemperiem: Hinc naturas inter & ætates aliis benè vel malè est pro variis anni temporibus.

IV.

PERFECTA est partium solidarum diathesis, ubi conformatione, situ, nexu, ordine, magnitudine, numero, aptè conveniunt; sic affabrè constitutam pro sui indole incolumem servat aut labefactat liquidum quod corpus jugiter alluit; diversa etenim est, & varias vices patitur sanguinis natura; huius motus, nisus, concretio, solutio, secretio multiplex: discrepantibus fluida moles conflata partibus, varias facillimè subit alterationes: huius si principia copiâ & facultate contemperentur, sanitas viget, si dissideant, plurima circumveniunt incommoda; quantum ad has vicissitudines promovendas valeant quæ sese alternatim excipiunt tempestates, quis non experitur? Vere tumet sanguis, & se suo æstu despumat, inde febrium cohors, hæmorrhagiæ, & varia exanthemata erumpunt: Syrio ardente fervet bilis, acrior redditur, inde causus urit, maligna desævit febris, ultrò vomitur Bilis, à Catharticis biliosiora purgantur; autumnû morborum ferace, viget atra seu tenacior bilis, hoc fonte pervicaces melancholici affectus & diuturni morbi derivantur: acri hyeme pîtuita redundat; quòd intercluso insensibili halitu lymphæ inspissetur; inde Catharri, Rhumatici dolores, inflammatoriæ febres, pleuritis, peripneumonia, angina, grassantur: quid si ad has mutationes victus error accesserit, exuperans humor peculiare parit morbos, qui eos imprimis invadunt causarios quorum similis temperies ipsius impetui retundendo impar est: immoderationem aëris facilius feret ætas contraria: per æstatem & ineunte autumnû senes reviviscunt, per hyemem pessimè se habent, & sæpè ineluctabili necessitate solvuntur, exeunte autumnû, valet ætas florida, ardente Julio fervet;

magnæ mutationi adversam in victu opponere mutationem artis apex est ; hanc si sapienter institueris , optimam temperiem diù servabis integram , in vitium flecti pronam intra naturæ modum coërcebis.

V.

SANITAS ut à morbo maxime distat , sic curatrici præstat Medicina conservatrix ; hujus legum studiosus observator , felix & sanus Nestoreos ager annos ; ab eâ qui deflexerit , delicta seriùs ociùs luet : qui parcioribus & conquistis utitur alimentis , corpus modico firmat & puro sanguine ; uberiori contra & lutofo emollit , qui luxuriosius pascitur : ultrò tumultuatur & effervesceat sanguis pravis inquinatus succis , & externis rebus , aëre potissimum ad exardescendum impellitur ; qui neget multò potentiùs ab anni temporibus corpora moveri , malignis soli expirationibus , fervidiore æstu , rigidiore frigore , procellis , imbris inordinatis , Epidemiæ & contagii plerumque feracibus ; idcirco per anni curriculum acuti desæviant morbi quorum malitia sagacis Medici eò diligentiolem requirunt curam , quòd nisi ad ipsius providentiam summa accesserit celeritas ; eam sæpè sæpiùs præcipiti impetu deludant : ut sanitatem aër , cibus & potus foveant , sic crebrò morbis ansam præbent ; usus effectuum disparitatem facit : nec frequenter plectitur qui victum ex variis aëris viribus metitur ; hyeme , minùs comedat , at meraciùs bibat ; vere potum & cibos adaugeat sensimque à tenuioribus ad densiora progrediatur ; æstate , cùm corpus potu & alimentis frequentius egeat , bibat dilutiùs , sæpiùs , at minùs singulis vicibus pascatur ; & quæ nimium caloris æstum compescunt alimenta seligat : autumnus undiquè periculis scatet adeò varius est , hinc diversum sed cautum pro variâ ipsius intemperie vitæ genus sequi juvat : his præceptis obtemperare valentibus opportunum , sed & causarios eò scrupulosius observare necessum est quòd magis patet offensis ipsorum infirmitas.

Ergò variis Causariis , pro diversâ tempestate , victus præscribendus.

Proponebat Parisiis FELIX VICQ D'AZIR , Valonæus apud Constantienses ,
Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus ,
A. R. S. H. 1773 , à sextâ ad meridiem.